



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.D.LXXV. Sancti Patris Benedicti. M.XCV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

Philippum, in causa solutionis denarij decimi in Hispanias Legatus, Vir *Virutis & Doctrinae*, Ferreolo Locrio teste, *nec non & est incomparabilis*, qui tamen electioni de se factae assentire noluit (et si amicorum & summorum virorum precibus enixè exoratus) priusquam solutio pensionis aliquot centenariorum coronatorum, quae quotannis Eminentissimo Cardinali Granvelano, à prædecessoribus suis solvi consueverat, ab Episcopatu penitus removeretur, sedesque Atrebatensis, sua pristinae libertati & immunitati redderetur. Vir enim devotus & pius cum esset, sese cum aliquo conscientiae scrupulo (verba Arnoldi Duaceni sunt) ab Abbatia sua, qua sola contentus erat, separari non sinebat. Factus igitur Voti sui compos, consecrationem tandem accepit, suaeque statim initia Episcopatus tanto merito de Ecclesia inchoavit, imo anteverit, quem etiam honorem strenuè gessit, & inter infernalium Cerberorum rabiem generosissimè propugnavit, inter omnes fluctus infinitarum calamitatum, sibi constans semper, patientia insuperabili, incomparabilique vitae integerrimae exemplo. *Quo in vita genere*, inquit præfatus auctor, *quanta pro*

*Ignominia
fuga.*

*Affertor se-
lucissimus
rei Catho-
lica.*

Catholicae Fidei defensione ab impijs & Hæreticis sustinuerit, facilius est cogitare quam dicere, ab ijs enim summis injurijs affectus, & tandem etiam in exilium actus patientissimè & animo virili pro Christi amore adversa omnia sustinuit, donec gratia Dei mediante ad sedem suam revocatus est &c.

*Hieronymus Abb. S.
Winnoci.*

Hieronymus Liber Bâro à Grimberga exhibuit, inter omnes Hæreticorum astutus animo invicto etiam postquam altera vice Cænobium Sancti Winnoci, cujus Abbatem agerat, miserè ab hostibus vastatum fuit, hoc ipso anno, dum in refectionem totus incumberet ad præmia patientiae aeterna evocatus. Sub hoc in eodem Cænobio claruit Petrus Wallon, ejusdem loci Asceta doctissimus, genere non minus quam virtute & eruditione spectatissimus, scriptor suae ætatis optimè meritis, qui alia inter præstantissimi ingenij monumenta, scripsit libros Institutionum Monachicarum & prædicto suo Prælato dedicavit. Librum item alium insignem, de causis

calamitatum Belgicarum. *Ex Monasterij ejusdem nominis.*

*IESU CHRISTI ANNI S.M.D.LXXV.
Sancti Patris Benedicti M. XCV.*

Fluctuanti tota Britannia Catholicae Religioni asserenda plurimi ex Ordine nostro Pugiles, generosissimo animo se devovent, cum rediviva Jezabel, Regina Elisabeth, fastu plus quam Luciferiano, non similis solum Altissimo esse contenderet sed Verba aeternae Veritatis nequissimè temeritate eversa satageret, Christi Sponsam sine macula & ruga, meretricem proclamaret, ipsa propudiosissima meretrix caput sese Ecclesiae jactaret; Divinae Mari, Mari Virgini se præponeret, & illius expuncto nomine, suoque inserto, in Calendarijs, ut majorem Altissimi Matre, se proclamari & adorari sineret, nostris etiam inter tormenta gravissima inauditam, ab orbe condito mulieris dementiam identibus & damnantibus. Prodiit exculpatis seu rasis in aere imaginibus liber integer suppliciorum diversissimorum à muliebri furore excogitatorum, in quibus se infernalis illa larva perpetuo exercuit; ut, si posset, omnes etiam inferorum poenas superando, in Catholicos, atque inprimis Fidei Catholicae assertores, in praxim deduceret. Deduxit, sibi quidem ad confusionem & damnationem per infinitas suppliciorum adinventiones in se exercendorum sempiternam, gloriosissimis vero Christi Martyribus ad indefinibilem letitiam, famam in terris, inque caelis gloriam; nostris & horum exemplo innumeris alijs, ipsissimo tanto crudelitatis exemplo, non solum imperterritis, verum etiam majore fervore accensis, & in illa S. Ignatij Antiocheni Episcopi, Patriarchæ & Martyris per mille Generosissimi animi Vota erumpentibus: *Ignis, Crux, Bestia, contractio osium, membrorum divisio, & totius corporis contritio & tota tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruatur.* Ita hoc ipso anno affecti ducenti è sola sacra familia & Reformatione nostra ducenti Religiosi, dum in animandis cæteris Romanae Ecclesiae Fidelibus, fidelem Christo navarent operam jussu ejusdem Sacrilegæ Reginae, per varia supplicia interempti,

*Elisabetha
Regina
Angliae
impia.*

*Carnifina
ejusdem.*

*Nostrorum
Animositas*

empti, triumphis aternis jungi meruerit; ut nihil de ijs dicamus, qui ne pro Martyribus haberentur, clanculum ad carceres rapti, longoque Martyrio crudelissimè affecti, centies & millies in omni cruciati sese hostias gratissimas Numini obtulerunt. Quibus proximi meritis censendi, qui piè mentito habitu ut alijs prodesse, nutantesque in fide confirmarent, infinita subire pericula, Zelo ducti animarum, in primis votis habuerunt. *Ex Chrysof. Henriquez, & Rerum Ancl. Script.*

Ludovicus de Estrada Abbas. Ipso anno sanctæ memoriæ Ludovicus de Estrada, tertium celeberrimi illius Mariani horti cultor, Hortensis Cænobij Abbas electus, etsi iam fractus senio atque impeditus, sed rerum agendarum longa peritia, & sanctimonia Vitæ venerandus, quiq; tantopere diligere, ut filijs, ut solo nutu regeret, neque jubere indigeret, sed indicare. Ut videas quantum referat Superiores exemplo magis docere quam verbo, cum hic Vir sanctus non in hoc solo Cænobio tantum posset, sed in Congregatione universa, cum omnibus pro Regula esset, ut Vitæ linea, incredibili in Ordinem & Hispanias, etiam ad sæculares, fructu dimanante. *Manrique, Henriquez & plures rerum Cisterciensium Scriptores.*

Antonius Fractensis Cæstina. Mortalitem exiit hoc anno Vir eruditissimus, humanis Divinitque litteris instructissimus, Jurisque inprimis Pontificij gnarus P. D. Antonius Fractensis Monachus Sacri Montis Casini, qui inter alia egregij ingenij monumenta Repertorium scripsit Polyanthea dictum pro Archivo Casinensi. In quo omnia Jura Cænobij aliisque res memorabiles Ordine Alphabetico quam distinctissimè est complexus.

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. LXXVI.
Sancti Patris Benedicti. M. XCVI.

Gaspard Bonincourt Abb. Audenburg. Inter Belgij sydera emicat, insigni cum virtutis tum eruditionis fama & splendore Gaspard Bonincourt Atrebas Eques Hierosolymitanus, qui non contentus sacra Christi in Palæstina, vidisse & coluisse vestigia, ut ipsum met in omni vita perfectius sequeretur & assequeretur, ejurato sæculo, in celeberrimo Aquiscinensium Cænobio Monachum professus est; inde pro vitæ meritis, ad Audenburgensis Cæ-

nobij regimen postulatus, & Abbas creatus, sedulum sese sacri rigoris promotorem, & disciplinæ Monasticæ asseritorem comprobavit, & ut de posteris non minus & exteris mereretur, quam de sibi commendatis, cum Græcè, Latinè, Gallicè, Teutonicè, Italicè, Hispanicè peritus esset, multa, & varia reliquit præstantis ingenij monumenta: eaque inter idioma te Gallico descripsit peregrinationem suam Hierosolymitanam, & ad Montem Sinai, & Sepulchrum S. Catharinæ; Librum item Suorum ad Fratres Sermonum. & alium de Arithmetica, duos item libros carminum, alterum de Prædestinatione, alterum de suis ipsius cognitione, ut ex ipsis librorum Titulis facile appareat, optimè mereri studuisse. Floret item & aeternè celebratur meritorum famâ, in eadem Belgij provincia Arnoldus Gantois Abbas Marchianensis, meritis liberalium artium & studiorum rudissimo sæculo promotor, cui præter alia præclarè gesta særa æternum debet posteritas, magnificum in Universitate Duacena Gymnasium, ab eodem magnis sumptibus exstructum, ex quo plurimi deinceps viri eruditi, magno Reipubl. Christianæ bono prodire. Recensenda hoc loco plurimorum aliorum Abbatum, tam in Belgio, quam Gallia, Hispania & Italia merita essent, quorum vix aliquis Opulentioris cujusvis Cænobij fuerit, qui non laudabilissimo Patrum Societatis Jesu Instituto faverit, ijque cum in condendis Collegijs, tum instituendis Gymnasijs, & promovendis studijs, alendis Alumnis, adjutor fuerit; ut si singulorum Cænobiorum Annales requirere placeat, & monumenta excutere, peculiari volumine opus esset; ita, ut planè appareat Benedictino Ordini, ut olim proprium semper fuit, cum sacra tum profana studia & in Cænobijs, & in primis Universitatibus atque Academijs profiteri, libros scribere, Bibliothecas condere, ita nunc quoque esse proprium, eadem ubi promovere, perque eadem & professoribus & Discipulis, nec non toti Ecclesiæ & Regnis Benedictinâ liberalitate consulere. *Ex Fastis Belgicis.*

Extinguitur hoc anno magnum omnino Ordinis nostri totiusque Romani

Arnoldus Gantois. Abb. Marchianens.